



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 33. Hugonis Lugdunensis querelæ de Victore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

§. XXXIII.

Sæculum XI.  
A.C. 1087.

*Hugonis Lugdunensis querelæ de Victore.*

Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, de tribus illis unus, quos Gregorius VII. ad sibi in Cathedra S. Petri succedendum designaverat, videns Desiderium Abbatem omnibus viribus reluctari, paucos honores consequendi spem non exiguam concepit, quam ubi, Desiderio Dignitatem acceptante, fallacem fuisse intellexit, novum Pontificem furiose insectari cœpit, quod ex epistola ad Comitissam Mathildem tunc data, cum Desiderius Romam ad Ordinationem recipiendam pergeret, dispicimus. Scripta est vero in hunc modum: *Electionem Cassinensis Abbatis, antequam ego Romam venerim, factam audivistis, cui tam ego quam ceteri Fratres mei pro temporis turbulentia consensum præbuimus. Postquam autem ad Montem Cassinum pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis deprehendimus, quantopere Deum in ipsius electione offenderimus.* Victorem deinde accusat Hugo, quod Henrico Regi fidem dedisset, se eum ad obtinendam

*Chr. Virg. p. 132. to. 10. Conc. p. 414.*

M m 3 dam

commemoratur, sed in nostris partibus nec Festum celebratur, nec Officium recitatur.

Sæculum XI. dam Romani Imperii coronam adjutu-  
 A.C. 1087. rum, quod eidem Henrico ad invaden-  
 das terras Beati Petri auctor fuisset, &  
 Decreta Gregorii Papæ damnasset.

*Nunc vero, subjungit, cum electionem liberam peragi posse speraremus, ille Concilium Capuæ, specie eligendi alium, convocavit, tanquam Apostolicæ Sedis in illa regione Vicarius. Ergo Salerno illuc nos contulimus cum Abbate Massiliensi & Archiepiscopo Aquensi, cumque negotium tractare cuperemus, Desiderius Abbas, simulans se Papatum respicere, Principem Capuanum molli gestu ad compellendum se provocare cepit. Nos, comperta ejus versutia, cum Episcopo Ostiensi Witmundo Monacho consultavimus, damnata hominis levitate, coram omnibus ediximus, nequaquam nos posse consentire, ut Desiderius Pontificatus insignia resumeret, nisi quædam facta ipsius famæ noxia & Sacram Sedem non decentia, quæ ad nostram notitiam post electionem devenissent, prius examini subjicerentur. Ipse id indigne ferens, & brachia excutiens, iterum nobis data licentia, quem vellemus, eligendi, nunquam se examen subiturum aut Papatum recepturum, respondit. Ita soluto Conventu nobisque, quia nox imminabat, discedentibus, Dux Rogerius, qui etiam Episcopum Ostiensem ceterosque Episcopos*  
 Roma

Romanos & Cardinales detinuit, apud ipsum remansit. Sæculum XI.  
A.C. 1087.

Ubi cum diu rogando Dux institisset, ut quemdam Alfanum, Episcopum Salernitanum consecraret, & Ostiensi repugnante Abbas voluntatem Ducis implere non auderet, quoniam manifestæ ambitionis convictus erat, Dux indignatus abscessit. At Desiderius, qui sine ejus auxilio Papatum obtinere desperabat, media nocte cunctis dormientibus legationem ad Ducem mittit, Dux ad Abbatem redit, atque inter ambos convenit, ut Desiderius Papa, & Alfanus Episcopus consecraretur. Alfanus sequenti die ordinatur, Dominica Palmarum, & eadem die post prandium & somnum meridianum Abbas, Ducis auctoritate nixus, ipse sibi purpuram imponit, nobis & Episcopo Ostiensi inconsultis, ac quid ageretur penitus ignorantibus. Tunc vero Episcopus Ostiensis, qui hactenus æquitatem nobiscum amaverat, cum vidit, quod Abbas Romam iret, ut ibi Jordani Ducis potentia munitus consecraretur, timens ne sua Dignitate privaretur, si alius Desiderio manus prior imponeret, animo cecidit, & sponsionis suæ immemor, gratiam Abbatis quæsit, eumque ut Papam reveritus est. Quod nunc autem Desiderius Romam concedere cogitet, qui vobis hanc epistolam reddet, plenius referet. Hactenus Hugo Archiepiscopus Lugdunen-

M m 4

Seculum XI. dunensis in epistola ad Mathildem Com-  
 A. C. 1087. mitissam. (\*)

## §. XXXIV.

*Necdum Schismatis finis.*

*Chron. Cass. III. c. 69.* Cum Victor Papa discessisset, post exi-  
 guum temporis, Mathildis Comitissæ Romæ adfuit, & per Legatos eum instantissime rogari iussit, ut ejus frui aspectu, ejusque potiri colloquiis mereretur. Monebat Pontificem corporis languore loco non abscedere, sed quia credebat, id Ecclesiæ utile futurum, iter per mare aggressus est. Ubi ad urbem pervenit, a Comitissa ejusque exercitu ac ceteris Catholicis omnibus devotissime exceptus, octiduo in Ecclesia Beati Petri per-

(\*) De hac Epistola Natalis Alexander Sac. XI. cap. I. *Calumniis hæc Hugonis Archiepiscopi epistola, ab Hugone Flaviniacensi in Chronico Viridunensi relata, tota scætet. Fictitia sunt crimina, quæ Victori III. objicit, & quibus ipsum satis superque purgat Gregorii VII. de ipso judicium, qui ipsum inter omnes Pontificatu dignissimum existimavit . . . . Promiserat quidem Henrico Regi suam apud Gregorium VII. intercessionem, ut Imperator crearetur, sed optime noverat Pontificem Sanctissimum Coronam Imperii ipsi non concessurum, nisi penitentiam ageret &c.*

Hæc Natalis.